

Heinrich Rahn

**Henricus Rahne, I.U.D. & Prof. In Academia Rostochiensi ... Vice-Decanus ... Ad Disputationem Inauguralem, Quam Johannes Schultze, Güstroviensis. De Tutelis, Habebit Ad diem XXXI. huius Mensis Maii ... invitat : [Datum & Sigillo Facultatis nostrae munitum Rostochi[i] XX. Maii Anno M.DC.LV.]**

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766620271>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



52  
HENRICUS RAHNE,

J. U. D. & Prof.

In Academia Rostochiensi, Facul-  
cultatis Juridicæ h. t.

VICE-DECANUS,

*Suo & Dnn. Collegarum nomine,*

Ad

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

Quam

JOHANNES SCHULTZE,

Güstroviensis,

De TUTELIS,

Habebit


*Ad diem XXXI. hujus Mensis Maij,*

Magnificum DN. RECTOREM,

omnes omnium Ordinum Cives Academicos,

Literatos & Literatorum Fautores

officiosè invitat.



ROSTOCHII,


Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno 1655.



Unc laborem sumas , laudem qui tibi ac fructum ferat, inquit nonnemo veterum. Hoc non didicit, sed cum primo lacte quasi hausit Dn. JOHANNES SCHULTZE, Gustroviensis. Is enim ejusmodi ab ineunte ætate vitæ cursum tenuit , ac eos inde usq; suscepit labores , quibus consentientem bonorum laudem acquirere, & fructus amplissimos consequi posset. Mentem discendo aluit, ita ut literarum cognitionem & optimarum artium scientiam, pulcherrimas hominis divitias, compararet sibi. Dumq; recte vivendi rationem sectatus est, didicit unà, præclarum quidem esse per fortunam inter egregios vel admirationi, vel ornamento esse; sed multò præstantius, industriâ suâ quicquid gloriosum , ac illustre sit , esse consecutum. Illam enim ignavis ac sceleratis etiam obvenire interdum, hujus autem societatem & communionem non nisi cum generosis convenire. Posteaquã ex ephebis excessit, dedit se arti juris & æqui, in qua tantos hætenus fecit progressus, ut in præsentem non fumosa vulgi, sed incorrupta & benè de excellenti virtute judicantium suffragia expectere & summum disciplinæ , cui deditus est, gradum ambire non vereatur. Et quid vereatur, aut dubitet ad solium honoris adspirare, qui legitimo tramite, duce honestate atq; scientiâ comite eo hætenus contendit, semper? qui ambit virtute, ut ille ait, non favoribus, quod meretur? Placet Hector ille Nævianus qui non tantùm laudari se lætabatur, sed etiam à laudato viro. Nec aliter sentit Dn. JOHANNES SCHULTZE , qui ad

supre-



52  
supremam in utroq; Jure, tam Canonico, qvam Civili,  
dignitatem obtinendam, nuper privato nostro examini  
fese stitit, eumq; gessit, ut de publico, qvò instat, ma-  
le sperare non habeamus. Ut autem laudabiles suos co-  
natus, omnibus eò rectius probaret, conformaretq; ad  
leges præscriptas, certum aliquod explorationis futuræ  
argumentum fuit proponendum. E cæteris igitur ele-  
git **MATERIAM TUTELARUM**. Materiam sanè  
ut utilem, ita scitu dignam & necessariam. Præsertim  
exulceratissimo hoc seculo, ubi, cum malitia mortalium,  
neqvitia tutorum crescit, adeò, ut multiformis plero-  
rumq; perfidia, uti *Symmachus* suo olim tempore con-  
querebatur, in varias se frequenter artes vertat, donec  
pupillorum suorum bona vel dissipent, vel consumant,  
vel in proprios usus convertant, immemores illius  
antiqvi:

*Qvi suas auget pupilli facultatibus, & his, & illis excidet.*

Has itaq; fraudes quotidianas vitare, iisvè obviam ire  
ex ipsis Juris fundamentis discimus meritò & docemus.  
Vitium qvorumdam est non exiguum, qvi studium ni-  
mis operosum multamq; operam in res obscuras atq;  
difficiles, easdemq; non necessarias conferunt. Verùm  
nostrum Candidatum ab ista populari opinione abhor-  
rere satis superq; docet, qvam de **TUTELIS** conscri-  
psit, **INAUGURALIS DISPUTATIO**, qvamq;  
omnium eruditorum examini jam subjicit, ratus, frustra  
illos esse & magno studio nihil agere, qvi de rebus ob-  
scuris & obsoletis, doctas licet, inutiles tamen præci-  
piunt nugas. Qvam autem necessaria & qvam conduci-  
bilis sit in Rep. bene constituta Tutela, docent vel tres  
imprimis, præter experientiam, rationes. Quarum  
prior ex naturali hominum mutuâ conjunctione oritur.

A 2

Cum



Cum enim natura cognationem quendam inter omnes homines constituerit, interest etiam hominis alium, ope egentem beneficio affici; & à potentioribus infirmiores regi. Etenim

*In suam nequit recipere, qui alienam ipsus in manu est*

Et quemadmodum à superioribus dependent inferiora providentiâ & tutelâ divinâ; sic inter inferiora, qui sibi prospicere nequeunt, ut ab aliis gubernentur, aliisve subjiciantur, tam ad eorum facit conservationem, quam in universum expedit. Dominus igitur curat servum, tutor pupillum. Uterque quidem prospicit homini: at ille ferè ex arbitrio, hic ex præscripto legis, atque ut pater filiis, & rex bonus subditis. Civium quippe tutela Regi traditur, non servitus. Si verò recusent impuberes, & inviti tutelæ subjiciuntur. Unde Paulus Apostolus dixit: Quamdiu hæres puer est, nihil differt à servo, cum tamen omnium sit dominus: sed sub tutoribus est & dispensatoribus usque ad præfinitum, à patre tempus. Naturali namque juri conveniens est, ut ij, qui perfectæ ætatis non sunt, alterius tutelâ regantur, illorumque bona conserventur. Si quidem, ut procuratio Reipublicæ sic tutela ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. Solent eapropter parentes, quibus data est potestas libera deligendi filiis suis tutores, qui post mortem eorum paternum hoc officium subeant, eligere amicissimos ac fidelissimos, ut scribit Paulus Iustus. Et decretum extat, ibi alendum tantum pupillum, & apud eum, de cuius fide non dubitatur ex affectionis, vel propinquitatis propensâ ratione: ut ita omnis sinistra suspicio in hac administratione & potestate tollatur. Quamvis enim olim cum maxima controver-

trover-

troverfia & difceptatione ſeniorum ſapientumq; quæſitum fuerit de gradu & ordine officiorum inter homines: conveniebant tamen facilè, conſtabatq; ex moribus populi Rom, primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæq; noſtræ creditos; ſecundum eos proximum habere clientes, qui ſeſe itidem in fidem patrociniūq; noſtrum dederint; tum in tertio gradu eſſe hoſpites; poſtea cognatos, & affines, teſte Agellio. Quin ſapiens vetuſtas Orphanos maximum ſacratiffimumq; depositū putavit, ad quos & tutor & magiſtratus, mentem, ſi quam habet, adhibeat, ac de diſciplina educationeq; eorum ita provideat, ut ſibi & ſuis providere videatur. Qui foeminam, ait *Plato*, *XI. de legib.* maremvé tutatur, & qui ex legum cuſtodibus, ſeu Magiſtratibus tutorem obſervare juſtus eſt, non minus orphanos, quam ſi genuiſſet eos, diligat; neq; res illorum ſecus, quam ſuas gubernet, imò etiam affectu animi meliùs. Nec impune ut ferant tutores negligentiam malitiāmvé, vult prudens ille Legislator, cui notum erat, quod ſub malo tutore plerumq; pupilli ager ſentibus ſqvaleat. Verum ſatis de prima, ſequitur altera Tutelæ pupillaris ratio, mores reſpiciens. Quod ſcilicet interſit reip. bonos habere cives & probos, atq; idcirco in juvenili ætate rectè informari, ut evadant viri, qui reip. ſint honori & auxilio. Illud autem commodias aſſeqvi non poſſumus, quam ſi impuberibus, parere orbatis, præficiatur rector domesticus, qui curam eorum fideliter obeat, primumq; ætatem lubricam atq; in malum pronam à vitiiis ad virtutem ſectat, & poſtmodum res quoq; pupillares adminiſtret, utramq; verò ab injuria impiorum prohibeat atq; defendat. Datur enim tutor potiſſimum perſonæ, & ex conſequentia

etiam ejusdem rebus. Quamobrem tutoris munus præcipuum est curare, pupillum bonis moribus & honestis disciplinis, aut artificiis institui. Non quidem ut inde ipse damnum sentiat; nemini enim suum officium sit damnosum; neq; lucrum percipiat; tutor quippe lucrum, ait ille, ex sua tutela facere non potest, sed ut sumptus pro pupilli informatione, educatione & conservatione expensos, ei imputet ac repetat veluti legitime & utiliter factos. Atq; ex hac altera Tutelæ ratione sponte suâ fluit tertia, quæ pertinet præcipuè ad pupilli facultates. *Melius enim est, inquit Imp. Justinian. injectâ potestate alterius juveniles coarctare calores, quam ut cupidine dediti tristem sentiant exitum, qui eos post dispersum expectat patrimonium.* Tum interest Reip. ne quis re suâ malè utatur. Idq; obtinet tam in adolescentulis, qui propter ætatis infirmitatem, quam in adultis, qui ob mentis ægritudinem, vel ob temeritatem, vel etiam ob effrenatam fortunas prodigendi libidinem, sibi consulere nequeunt. Neq; in infimis, aut mediis Reip. membris, illud tutelæ jus subsistit, sed & in magnatibus Regibusq; ipsis observatum legimus. Liceat ejus, quod scribimus, unum atq; alterum exemplum in medium adducere. Quintus Pomp. Prætor urbanus apud Romanos, Quinti Fabii Max: filio degeneri & civi inutili bonis paternis interdixit, propterea quod perditam luxuriâ vitam ageret. Neq; in tanta civitate, qui illud decretum reprehenderet, fuit inventus. *Dolenter enim, inquit Val. Max. homines ferebant, pecuniam qua Fabia gentis splendore servire debebat, flagitiis deijci. Sic quem nimia patris indulgentia heredem reliquerat, publica severitas exhæredavit.* Tiberium, Cæsarem, Senatori cuidam luxuriose viventi, tutorem, quasi esset pupillus, dedisse, literis est proditum

52

ditum. Similiter Augustus Rom. Imp. teste *Sueton*, solitus erat Regibus ætate parvis, aut mente lapsis Rectorem apponere, donec adolescerent ii, aut resipiscerent. Et Anaxilaus Messenius, Rheginorum Dominator decedens parvulos suos liberos commendavit Mychito, suo spectatæ fidei servo. Is ex testamento tutelam gessit, imperiumq; tam clementer obtinuit, ut Rhegini, obliti dignitatis suæ, non dedignarentur regi à servo. Provectis autem ad integriorem ætatem pueris bona & imperium reddidit: ipse verò parvo viatico sumto abiit, & Olympiæ summa in tranquillitate confenuit. Rex item Galliæ Dagobertus, cum moreretur, Clodoveo II. tutorem dedit Majorem Palatii. Et Carolus ejusdem Regni V. moriens decrevit, qvi liberis suis tutores essent; qvi Regno. Sed qvia hi administrabant suo nomine, & in suum commodum, multa incommoda evenere. At longius hîc progredi institutum non permittit: ideoq; ad rem, cujus gratiâ hæc præfati sumus, revertimur & dicimus, **TUTELAM** atq; jura tutelaria Dn. **CANDIDATUS JOHANNES SCHULTZE**, in sua **DISPUTATIONE INAUGURALI**, quam pro consequendo Doctoris titulo & privilegis, ad diem **XXXI.** hujus mensis **MAJI** omnium oculis atq; judiciis exponet, satis concinne & copiose quantum tamen pagellarum concessarum permisit angustia, declaravit. Age igitur Magnifice Dn. Rector. Agite Omnium Ordinum Dn. Professores, Doctores, Licentiati, Ecclesiastæ, Magistri, artibus liberalibus & virtuti dediti juvenes, Literati & Literatorum fautores; convenite & vel colloquio amico, vel auribus benignis explorete, an Dn. **CANDIDATUS** tempus, quod tam in hac nostra, quam  
in.

in aliis Germaniæ Academiis contrivit, otio & luxu  
perdiderit; vel honestis occupationibus tribuerit.  
Nos equidem, quin probaturus sit liquidò, se igna-  
viam & crapulam, tanquam pestes Reip. maximas, atq;  
omnium malorum magistras, odisse: ex adverso nihil  
sibi prius, nihil antiquius, quam artium optimarum ju-  
risq; studium unquam fuisse, nulli omninò dubitamus.  
Iis potius rebus navasse se operam, quæ nunquam  
non prodesse possunt: illos deniq; suscepisse labo-  
res, testatum faciet, quorum præmium est decus &  
earum rerum copia, quas qui possidet, optimè cum  
illo agi existimatur. Quod si morem nobis gesserit-  
tis, Viri optimi & honoratissimi, est de quo sibi gratu-  
letur Dn. SCHULTZIUS & nos annitemur, ne  
vos hujus officii unquam pœnitere queat. Vale, Le-  
ctor candide, & tutelæ divinæ commendatus esto.  
Tutus est, & tutum ejus, cui tutor est DEUS, patrimo-  
nium. Datum & Sigillo Facultatis nostræ muni-  
tum Rostochl XX, Maij Anno  
M. DC. LV.















the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 o 1615. vagabundus quidam homo co-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, adjumeto intercessionu, quas  
 te impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniae  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 , poenam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publice jactaverat, quem postea  
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quae notissimum est illud Plau-  
 pta forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut e bello rever-  
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4